

ipsius varietate litere non laedatur, auctoritate presencium concedimus postulatam. Nulli ergo etc. dat. Lugduni IV. kal. Aprilis anno V. \*)

E Regest. Innocentii PP. IV. Kal. Aprilis anno V. in secr. Tabulario Vatic. Item e Cod. Bibl. Vat. Nro. 7157 fol. 184 descripsit Dr. Fr. Rački.

## LV.

Anno 1252.

### In Regno Dalmatiae consuetudo pro lege valuit.

In nomine D. N. Jesu Christi Amen. Anno Incarnationis: 1252. Ind. 11 temporibus D. Innocentii Pape IV. ac D. Belle Illustris Regis Hungarie hoc actum est. Cum prophetici sermonis eulogium opus sit iustitiae pax, que unicuique sua iura servando, totius humane cohabitationis et societatis vinculum merito nuncupatur; necesse est omnibus legaliter vivere cupientibus huius salutiferis connecti vinculis et ab eis (sic) cultu nullo tempore declinare, que denique iustitiae norma, quasi gemino Calle procedens, jure videlicet scripto, ac consuetudinibus approbatis, ad veritatis tramitem cunctis mortalibus iter pandit. Quia vero in partibus Dalmatiae, consuetudinis usque longevae auctoritas, quam maxime pro lege veneratur, idcirco Ego Stanimirus Archipresbiter, una cum Tolone, Joanne et Crisogono Clericis, tam pleno mandato universi Cleri Sibenicensis, ad Spalatensem Ecclesiam, tamquam ad Caput metropol. accedentes: ibidem coram Venerabili viro Thoma Archidiacono et Capituli S. Domnii dicimus, profiteamur et recognoscimus, nos omnimodam subiectionem debere D. Treguano Episcopo

\*) Privilegium hocce de ritu slavico scimus iam a Pontifice Johanne VIII. a. 880. mense Junio bulla, Svatoplucio principi scripta, concessum fuisse, his verbis: „Litteras denique sclauinicas a constantino quondam philosopho repertas, quibus deo laudes debite resonent, iure laudamus. Et in eadem lingua christi domini nostri preconia et opera enarrantur (sic! sine ut) iubemus. Neque enim tribus tantum sed omnibus linguis dominum laudare auctoritate sacra monemur, que precipit dicens. Laudate dominum omnes gentes et collaudate eum omnes populi. Et apostoli repleti spiritu sancto locuti sunt omnibus linguis magnalia dei. Hinc et paulus celestis quoque tuba insonat monens: omnis lingua confiteatur, quia dominus noster Ihesus christus in gloria est dei patris. De quibus etiam linguis in prima ad corinthios epistola satis et manifeste nos ammonet, quatenus linguis loquentes ecclesiam dei edificemus. Nec sane fidei uel doctrine aliquid obstat siue missas in eadem sclauinica lingua canere, siue sacrum euangelium uel lectiones diuinas noui et ueteris testamenti bene translatae et interpretantes legere, aut alia horarum officia psallere. Quoniam qui fecit tres linguas principales, hebream scilicet, grecam et latinam, ipse creauit et alias omnes ad laudem et gloriam suam. Iubemus tamen, ut in omnibus ecclesiis terrae uestrae propter maiorem honorificentiam euangelium latine legatur, et postmodum sclauinica lingua translatum in auribus populi latina uerba non intelligentis adnuntietur. Sicut in quibusdam ecclesiis fieri uidetur.“ etc. E Regest. Johannis PP. VIII. in sac. Tabulario Vat.